

# Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

## Decretum

N. 46612/2012 CA

**Reductionis ecclesiae [X] in usum profanum**

D.na [A] et alii – Congregatio pro Clericis

Decreto reductionis ecclesiae [X] in usum profanum die 31 decembris 2010 dato, Cl.ma D.na [A] et alii, invocatis cann. 1733, § 1 et 1734, § 1 praescriptis, die 22 februarii 2011 remonstrationem Exc.mo Episcopo praebuerunt, decreti revocationem petentes.

Provocatione ab Exc.mo Episcopo epistula diei 27 februarii 2011 prorsus neglecta, recursus hierarchicus die 5 martii 2011 Congregationi pro Clericis propositus est, quae ob remonstrationem sero praebitam recursum reiecit.

Recurrerunt Cl.ma D.na [A] et alii die 27 martii 2012 ad hoc Supremum Tribunal.

Quibus praehabitis,

### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

attentis praescriptis:

- can. 1734, § 2, iuxta quod petitio fieri debet intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto legitime notificato;

- can. 56, iuxta quod decretum pro intimato habetur, si is cui destinatur id accipere recusaverit (cf. etiam can. 1510);

Pro certo habito quod occasione conventus coram Rev.do D.no [B] die 27 ianuarii 2011 habiti, ex eiusdem processu verbali satis constat decretum reductionis ecclesiae [X] in usum profanum omnibus coadunatis inspiciendum ac legendum oblatum esse, at Cl.mam D.nam [A] explicite ad rem respondisse se et alios id inspiciere nolle;

Considerato, proinde, quod Congregationem pro Clericis nullam legis violationem patravisse constat, diem 27 ianuarii 2011 censendo terminum a quo decem dies, de quibus in can. 1734, § 1 currere incipiebant atque remonstrationem diei 22 februarii 2011 extra eundem terminum peremptorium propositam tenendo;

Ceteris forte animadvertendis prorsus praetermissis;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi art. 76, § 1, n. 4 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie atque evidentiter absque ullo fundamento propositum.**

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus, motivis suffultus, ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab hoc decreto recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 31 maii 2012.

+ Franciscus Daneels, o.praem., *Secretarius*  
Iosephus Ferdinandus Mejía Yáñez, m.g. *Praepositus Cancellariae*